

nis. Dixi 1^o. *In causa personali*; causas enim fidei et disciplinae a personis abstractas videntur ipsi adversarii tribuere. 2^o. *Episcoporum*; quia quamvis eadem sit ratio juris etiam pro Clericis inferioribus; item usus antiquus Ecclesiae Constantinopolitanae, Alexandrinae et Gallicanae, ex Coelestini epist. 19., Leonis epp. 57. 58. 92., ex Greg. L. 1. epist. 72.; L. 2. epist. 33., L. 10. epist. 32. et 33. facile probetur; imo et Africanæ ex Zosimi et Gregorii epistolis colligatur: impropria autem significatio locum hic non capiat: cum tamen propter incommoda et abusum, Synodi Carthaginensis disciplinam suis Clericis propriam voluerint, Tridentinum autem circa hæc pluribus prospexerit; ab his supersedemus.

Prob. 1^a. p. Quæ sunt primatus supremi munia vel sequela, non sunt donata a Synodis, sed data a Deo, ut ipsa primatus institutio et NICOLAI epist. 8. ad Michaellem Imp. ostendit: sed jus recipiendi appellationes in Episcoporum causis etiam personalibus est primatus Romani munus aut sequela, ut Art. 3. ostensum est, et vel sola Canonum custodia et executio ab Adversariis concessa Pontifici exigit: ergo.

Conf. CYPRIANUS epist. 67. a Stephano Papa petit depositionem Marciani, et Episcopi alterius substitutionem; ep. 68. autem non queritur, Basilidem ad dictum Papam confugisse, sed eidem obrepisse: Cæciliani in Africa damnati causam Romæ fuisse jure recognitam a Melchiade, OPTATUS MILEV. L. 3. contra Parmen. et Aug. Conc. 2. in Psal. 37. alibique sæpius declarant: JULIUS reprehendit Eusebianos ep. ad illos data, quod sua sede inconsulta Episcopos deposuerint; depositosque Athanasium, Paulum, Marcellum et Asclepam ad se profugos, communioni ac sedi restituit: idque recte factum, quoniam *Ecclesia Romana privilegium præter cæteras obtinebat*, Socr. L. 2. Hist. c. 15., et quia propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectaret, Sozom. L. 3. Hist. c. 8. testantur. Ergo ante Sardicense Concilium jus Pontificis judicandi causas Episcopales, et Episcoporum jus appellandi ad Pontificem jam vigeat: ergo neutrum est institutum ab hoc Concilio, quod Adversarii volunt; sed utrumque tantum est confirmatum.

Prob. 2^a. p. Sardicenses Canones vigerunt in Oriente ante *Trullanam Synodum*. Provocarunt enim ad Pontificem in causis personalibus, teste Basilio epist. 74. Eustathius Ep. Sebastenus, in Conc. Tyanensi restitutus ob Liberii litteras; narrante Palladio in Vita ejus, CHRYSOSTOMUS, tam post Synodum ad Quercum quam post alteram Constantinopoli habitam, ad Innocentium I. provocans; scribente epist. 8. Leone, Eutyches juste damnatus, et epist. 25. S. FLAVIANUS injuste condemnatus, uterque ad Sedem Apostolicam conversus; ex Syn. Chalced. Act. 1. et propria auctoris historia, THEODORETUS Ep. Cyrensis ab invocato Leone restitutus, et secundum hujus sententiam ab illo Concilio receptus. In Occidente ante 8^{um} Seculum simili facto celebres sunt COELESTIUS et PELAGIUS apud Zosimum Papam epist. 3. ad Afros; CHELIDONIUS Ep. Prov. Viennens. cum Hilario apud Valentinianum III. in Novella; LUPICINUS Afer apud Leonem epist. 87.; Contumeliosus Ep. Rejenis apud Agapetum epist. ad Cæsarium: SALONIUS Ep. Ebredunensis et SAGITTARIUS Vapincensis apud Greg. TUFON. L. 5. Hist. c. 20; ADRIANUS Thebanus, JANUARIUS Malacitanus, STEPHANUS Hispanus apud Greg. L. 2. Regesti Indict. 11. epist. 6. et L. 11. Ind. 6. epist. 52. Ergo antiquioris usus est appellatio hujusmodi, quam adversarii velint et statuant.

Conf. De usus antiquitate testantur VALENTINIANUS Imp. in epist. ad Theodos. Imp. scribens: *Fidem a Majoribus traditam debemus cum omni devotione defendere, et dignitatem venerationis B. Petro proprie intemeratam conservare; quatenus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotum super omnes antiquitas contulit, locum habeat et facultatem de fide et sacerdotibus judicare*: AUG. ep. 162. de Cæciliano loquens ait: *De Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum judicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare*: LEO ep. 89. ad Epp. Prov. Viennens. *Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem pro sui reverentia a vestra etiam Provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo posebat, appellationem causarum, aut retractata aut confirmata fuisse judicia*: GELAS. ep. 13. ad Epp. Dardan. *Sed nec illa præterimus, quod Apostolica sedes frequenter, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.*

Prob. 3^a. p. Canones Syn. Sardicenses sic habent; et quidem Canon 3: *Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo; et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur et det iudices: si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt.* Can. 4: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma: alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Can. 7: *Placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint; si appellaverit, qui dejectus est, et confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesie et voluerit audiri; si justum putaverit ut renovetur judicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit et quid æstimet: et si decreverit mittendos esse, qui præsentibus cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio.*

Ex his patet. 1^o. Appellationis vocabulum usurpari iterato, revisionis nunquam: 2^o. Pontifici inesse potestatem confirmandi judicia, lata in Synodis Provinciae, consequenter et cognoscendi et decidendi causam, et e contrario judicia in irritum mittendi; cum utraque potestas confirmandi et irritandi sit indivisibilis: 3^o. Eundem posse nominare iudices omnino novos, quibus auctoritatem judicandi et definiendi committat; mittere etiam posse legatum, qui auctoritate sedis Romanæ cum novis iudicibus jus dicat: 4^o. In altera a iudicibus primo datis appellatione, ipsum Pontificem per se causam retractare ac determinare posse: 5^o. Interposita Episcopi provocatione, si primi iudices etiam ad depositionis executionem processerint, hunc reum videri tantum de-

positum; et prohiberi penitus, ne novus ordinetur Episcopus. Hæc autem dilucide monstrant, nec nomen, nec rem, nec ullam conditionem propriæ appellationis hic abesse; adeoque esse falsum, quod Pontifici merum jus discernendi revisionem a Sardicensibus asseratur.

Conf. ex dictis et factis inter probationes priorum partium allatis; quæ propriam appellationis significationem undique produunt.

186. *Obje.* Nobilissimæ Ecclesiæ, etiam post Sardicenses Canones, legibus et factis repugnarunt juri appellationis ad Pontificem. *Prob. de Eccl. Africana:* Hæc 1°. In Conc. Milevitano II. Can. 22. sub excommunicationis pœna prohibet appellationes transmarinas; et in Codice Can. Afr. c. 123. dicit *idem sæpe constitutum de Episcopis:* Can. 24. autem, uti et in Africano Can. 87, appellationem qualemcumque a *judicibus electis* reprobatur. 2°. In Carthaginensi VI, ut ex hujus ep. Synodica ad Cœlestinum liquet, detegit jus appellationis fuisse fundatum in canonibus supposititiis: declarat illegitimum ex repugnantia cum Canonibus Nicænis, ex defectu approbationis Ecclesiasticæ, ex absurdis et incommodis: spernit et impune violat, damnando Apiarium ad sedem Apostolicam iterato appellansem.

R. ad Arg. Assertum permitti forsitan posset salva Theseos veritate; cum usum quidem probaret contrarium, non tamen universalem, nec continuum, nec necessarium: quoniam vero plura continet falsa, aut falsum inferendi occasionem præbet. *N. Assert.* Ad ejus *prob. de Eccl. Africana:*

Quoad 1. *R.* Milevitanus quidem Canon 22. hanc prohibitionem continet: sed. 1°. pertinet ista duntaxat ad Clericos Episcopo inferiores: 2°. Potuit ista disciplina a Pontifice Afris permitti absque juris sui læsione; cum a jure distinguatur usus et exercitium: 3°. Nec potuit præjudicare Pontifici, cum lex inferioris non valeat contra jus superioris: nec Pontifex sibi præjudicium inferri est passus; cum lege hac insuper habita, appellationem Apiarii Clerici Presbyteri eodem tempore admiserit.

Additamentum de Episcopis est irreptitium, nec in ulla Milevitanorum Canonum editione habetur: quin etiam a pluribus Codicis Africani exemplaribus abest. Quod subditur Canone 24. de *judicibus electis*, spontaneam remedii juris abdicationem supponit, usum autem per se illicitum et invalidum non probat. Quanquam hanc ordinationem ad causas tantum profanas Clericorum pertinuisse, constet ex Africana arbitros hic eligentium consuetudine, quæ ex Can. 13. et 96. ejusdem Codicis colligitur.

Quoad 2. *R.* Quamvis Episcopi Afri, inter Acta Concilii Nicæni a Patriarchis Orientalibus petita et missa, non deprehenderint Canonem de Appellationibus agentem; non detexerunt tamen appellationem fundari in Canonibus supposititiis, sed ad summum pseudonymis: dum Zosimus, ut communius respondetur, Sardicenses Canones laudavit velut Nicænos; quia Concilium Sardicense, cum definitione fidei careret, habebatur appendix Nicæni, et illius Canones in Codice Romanæ Ecclesiæ Nicænis immediate subjiciebantur. JOHANNES tamen Theologus, in Sess. 20. Concilii Florentini, ex antiquissima et authentica epistola docuit: 1°. Jam Athanasii ætate in omnibus Orientalibus Ecclesiis ab Ariamis fuisse corrupta acta Nicæne Synodi: 2°. Romæ Originaria fuisse custodita integra: 3°. Ex iisdem prolatum fuisse a Julio canonem de Synodis, quo Conc. Antiochenum ob defectum consensus sedis Apos-

tolice ostendit illegitimum; a Liberio autem alterum de Appellationibus, quo Athanasii ab ea Synodo ad Pontificem provocationem defendit tanquam legitimam.

Quod rationes concernit, quas Synodus Carthaginensis protulit; earum 1^a fingit repugnantiam appellationis cum Canonibus Nicænis, qui synodos provinciales et majores pro judicibus ordinariis, et secundum instantiarum seriem assignant, nulla mentione facta judicis extraordinarii ac supremi: 2^a falsa est, cum adsint saltem Canones Sardicenses: reliquæ abusum indicant, et promiscuam frequentationem impugnant; usum autem moderatum non tollunt. Quod de contemptu additur, ab Afrorum reverentia et a veritate alienum est. Nam fervente etiam Apiarii causa, ipse S. AUG. Afrorum tunc præcipuus, ep. 261, Antonii Ep. Fussalensis appellationi ad sanctam sedem detulit: ipsius APIARII etiam appellationem primam et restitutionem ejus a Pontifice factam admiserunt omnes: secundam autem repudiarunt; quia probare non potuit a se fuisse appellatum, ac dein sua crimina tandem confessus est: ut in ipsa ep. Synodica ad Cœlestinum narratur.

Inst. 1. De Eccl. Occidentali testatur 1°. Epistola Synodica Concilii Italiæ ad Theodosium, qua Damasus et Patres declarant in causa Maximi Constantinopolitani depositi se non cognoscere posse sine Orientalibus. 2°. Epistola Constantii ad Conc. Ariminense, qua ab hoc nihil in causa Orientalium definiendum enuntiat: 3°. Constitutio Gratiani, ad postulationem Syn. Romanæ edita, et in append. Codicis Theodosiani superstes, qua alius a Sardicensi judiciorum ordo præscribitur.

Quoad 1. *R.* 1°. Epistolam hanc supposititiam esse, indicat stylus involutus, GREGORIUS NAZ. falso Episcopus Alexandrinus hic nominatus, Maximi ordinatio domi privatæ facta perperam asserta, et Damasi epistola ad Acholium in plerisque contraria. *R.* 2°. Permissa epistolæ sinceritate, Pontifici cum Occidentalibus jus fuisse in hac causa, testantur tum ipsius epistolæ verba, *jure et more majorum* hanc appellationem factam enuntiantia; tum narratio de restitutione MAXIMI, absque Orientalium interventu decreta, ibidem inserta: Pontificem tamen fuisse paratum ad remittendum de jure suo pro pace conservanda, facile concedimus.

Quoad 2. *R.* Non sanè ex CONSTANTII litteris jus controversum decidi potest aut debet; sicut nec ex aliis ejus factis jura alia Ecclesiæ ullus colligere audebit. Cui tamen inde aliquid inferre placet, plus non exsculpet, quam Ariminensibus, nec provocatis nec a Pontifice auctoratis, haud convenisse, ut occuparentur tractandis Orientalium causis, dum illi ipsi cœtum eam in rem Seleuciæ agerent.

Quoad 3. *R.* GRATIANI constitutio non pertinet ad causas Episcoporum quascumque et universim, sed speciatim ad contumaces in schismate Ursicini et pacem Ecclesiæ turbantes; ubi turbarum atrocitas et Episcoporum Damaso adherentium postulatio etiam ordinem in Nicæno statutum observari haud sinebant.

Inst. 2. De Eccl. Orientali patet: 1°. Ex ep. Cyrilli Alexandrini ad Domnum Antiochenum, qua Petri ab hoc depositi causam in Synodo Patriarchali judicari postulat: 2°. Ex Socrate L. 2. hist. c. 40. dicente, quod Cyrillus Hierosolymitanus solus ac primus contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem provocavit ad majores judices: 3°. Ex querelis Episcoporum Macedoniae contra

Innocentium I. quod is causam Bubaliani et Tauriniani in provinciali Synodo damnatorum retractasset.

Quoad 1. *R.* Ad rem nostram epistola Alexandrini non pertinet; cum causa Episcopi Antiocheni nec apud Cyrillum Alexandrinum, nec apud Proclum Constantinopolitanum, quo etiam Petrus se verterat, tractari posset: illorum siquidem officia una mediatione ac supplicii interventu finiebantur.

Quoad 2. *R.* Appellatio CYRILLI HIÉROS. non ad Pontificem, sed ad Imperatorem ferebatur: adeoque et hoc factum huc est impertinens.

Quoad 3. *R.* Nec querelæ Episcoporum Macedoniae spectabant appellationem, cum ipsi causam detulissent ad Rufum Thessalonicensem, Vicarium Pontificium, damnati autem ad Pontificem ipsum: sed conquerebantur de communione, quam Bubalianus et Taurinianus datam sibi a Pontifice litteris supposititiis mentiebantur.

Inst. 3. *De Eccl. Universali* asserit: 1º. Conc. Constantinopolitanum I. quod Can. 2. et 3. supremam Synodis Diœcesanis h. e. Primatialibus auctoritatem tribuit: 2º. Conc. Chalcedonense, quod Can. 9. et 17. iisdem Conciliis definitivum de Episcoporum depositione ac cæteris disciplinæ rebus iudicium adstruit: 3º. Justinianus in Nov. 123. Cap. 22. Patriarcham postremum appellationis iudicem statuit, interdicta ultiore provocazione.

Quoad 4. *R.* Constantinopolitanus Canon 2ºs limites tantum Patriarcharum defuit, nullos Romano Pontifici præscribit: 6ºs prohibet Episcopis, et quidem accusatoribus tantum, in Conc. Provinciali damnatis, appellare ad Imperatorem vel Concilium œcumenicum, non delata prius ad Patriarchale iudicium causa; neuter appellationem ad Pontificem vetat.

Quoad 2. *R.* Chalcedonense Concilium primam cognitionem causarum inter Clericos et Episcopum ortarum defert synodo Provinciali; inter Episcopos autem aut Clericos et Metropolitam natarum ad Primatem vel Synodum Diœcesanam: de ultima instantia nihil enuntiat.

Quoad 3. *R.* JUSTINIANUM hic locutum de causis Episcoporum civilibus, quas utique Imperator iudici cuilibet pro sua voluntate committere poterat, patet tum ex Nov. 137. ubi Cap. 4. et 5. de causis Ecclesiasticis loquens, appellari non prohibet: tum ex Conc. Constantinopolitano sub Menna et tempore JUSTINIANI, in cuius Actione 1ª et 4ª adsunt exempla appellationis hujusmodi factæ et acceptatæ. Qui aliter Imperatorem sensisse evicerit, nil tamen proficiet, quia Constitutiones ejus nec jus nec usum pro Ecclesia facere poterant.

187. *Respondeo III.* Fas non est appellare a Pontifice ad Concilium Generale. Sequitur hæc assertio tum ex Articulo proximo; quia appellatio ad iudicem superiorem facienda est; non autem Concilium Pontifice, sed Concilio Pontifex est superior: tum ex præcedenti; quia Tribunal Pontificis est in Ecclesia summum, tam propter Primatum jurisdictionis Pontifici competentem, quam propter perfectæ Monarchiæ regimen in Ecclesia constitutum: item quia Tribunal Pontificis est Christi ipsius tribunal, propter vicariam Christi potestatem in Pontifice residentem, et certam juris decisionem, quod unum sit tribunal Vicarii et Principalis. Speciatim tamen:

Prob. Appellatio hujusmodi est illegitima, perniciosa et nulla: ergo.

Ant. 1ª. *p.* patet 1º. quia est contraria Canonibus, Causa 9. Quæst. 3. re-latis, qui auctores habent Bonifacium I, Gelasium I et Nicolaum I, Pontifices.

BONIFACIUS quidem in ep. ad Rufum Thessalon. inquit: *Intelligent de nostro iudicio non esse retractandum: nunquam enim licuit de eo quod semel statutum est ab Apostolica sede, rursus tractari*; GELASIUS in Commonit. ad Faustum: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluerunt deferri; ab ipsa vero nunquam prorsus appellari sanxerunt*; NICOLAUS ep. 8. ad Mich. Imp. *Non liceat cuiquam de Sedis Apostolicæ iudicare iudicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus*. Hos præcessit ZOSIMUS in ep. ad Carthagin. scribens: *Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuit, ut de ejus iudicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper regulasque servavit, et currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina reverentiam, quam debet, exsolvit*. Item: *Cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia etc.*

2º. Quia rejecta est in Generalibus Conciliis: nimirum qualicumque illa Thaddæi, pro Friderico II. Oratoris, ad Concilium magis plenarium provocazione a Lugdunensi I. insuper habita, Innocentius IV. ad ferendam sententiam processit: objecta autem Constantiensi Sess. ult. a Poloniæ Legatis ad futurum Concilium appellatio a Patribus, quantumvis circa libri damnationem idem sentientibus, fuit neglecta, a Martino V. autem pœnis propositis compressa.

3º. Quia reprobata est a iudicibus; utpote a Pio II. in Bulla *Execrabilis*, variis et gravissimis censuris notata; quæ constitutio a Sixto IV. Callisto III. Julio II. aliisque innovata, etiamnum quotannis in Cœna Domini, a qua nomen sortita est, promulgatur.

Ant. 2ª. *p.* declaratur. Est enim *perniciosa* 1º. regimini Ecclesiæ, quia Pontificis quantumlibet legitimi superioris, auctoritas labefactatur, imperandi vis inhibetur, inobedientia inulta manet: 2º. Pœi ac unitati; quia schismati facilis datur aditus, difficilis autem fit medela: 3º. Fidei et integritati; quia hæresis diu hac impune grassari potest: cum appellatione interposita, Concilium, ad quod provocatur, vel longe post, vel nunquam sit congregandum; quandoquidem ab ultimo, scilicet Tridentino, jam duo secula fluxerint, quin post varias appellationes injectas Concilii generalis cogendi necessitas aut occasio fuerit.

Ant. 3ª. *p.* colligitur: quia *nulla est* 1º. Ob defectum iudicis, qui necdum est, cum ad futurum Concilium appellatur; incertus est, cum Concilio superioritas ista probabilissime negetur; forsitan nunquam erit, cum generale Concilium congregari vel moraliter hoc rerum statu non possit vel non expediat: 2º. Ob defectum finis appellationis, qui, utpote cessatio litis, sperari nequit, sed timeri potius debet litium immortalitas, tum ob rationes nuper allatas: tum quia collecto forsitan etiam Concilio sine Pontifice deest auctoritas; cum Pontifice autem collecto et ab ejus confirmatione dependenti, veneratio ab appellantibus ægerrime est deferenda: 3º. Ob defectum finis Appellantium: qui in plerisque tum antiquis, ut Seculi 16 sectariis, tum recentioribus, ut Jansenianis appellantibus, deprehenditur esse declinatio Pontificis et damnationis, et frustratio iudicii Ecclesiastici.

His accedit frivola inutilitas, quæ oritur tum quod definitio dogmatica Pontificis mutari nequeat, tum quod appellantes confirmatæ rursus sententiæ obedire nollent, ut Tridentino experimento patuit in Protestantibus.



188. *Objic.* Ratio et experientia stant pro valore appellationis a summo Pontifice ad Generale Concilium. *Prob.* Appellatio est remedium juris naturæ contra gravamen ex sententia condemnatoria : ergo a Pontifice ad Concilium debet esse legitima ; nam alias 1°. injuste gravatus nullum haberet remedium : 2°. sæpius acquiescendum foret Papæ in propria causa judicanti ; 3°. ipsi Papæ non suppeteret medium corrigendi errorem judicii, quem auditi in Concilio universi orbis Episcopi, impertiendo factorum maxime notitiam, tollere possunt.

R. ad Arg. N. Assert. Frustra adversus jus apertum provocatur ad rationem, si hæc ex meris congruentiis tantum deducatur ; aut ad experientiam, si novitia sit et antiquis ignota : prout fit in materia præsentis. 1^{um} quidem patet ex collatione objectionis cum probatione Theseos ; 2^{um} autem ex tempore ; quia in duodecim seculis primis exemplum appellationis hujus reperitur nullum, nisi forsitan Pelagianorum aut hæreticorum aliorum facta quis imitationi proponenda judicet, quæ tamen communi Ecclesiæ consensu reprobantur.

Ad prob. R. D. Ant. Appellatio generice sumpta est remedium juris naturæ, C. quælibet in specie, præsertim illegitima pernicioiosa et nulla, N. certe, jura etiam humana appellationes quasdam prohibent, et ut iis remotis procedatur imperant.

Ad prob. Cons. 1. R. N. seq. superest enim remedium supplicationis, repræsentationis, aut alterius nominis usitatum, ubi de fide non agitur.

Ad 2. concedo id quidem fieri posse, sed nego id esse absurdum aut ini-
quum, cum teneat in omni iudice supremo : et nisi valeret, etiam contra œcumenicum Concilium imploratum pugnaret.

Ad 3. R. N. seq. Quia notitia hæc capi potest per litteras et Legatos : minus, iudicium Pontificis omne sine Concilio generali latum haberi posset erroneum : et si vero in materia cum dogmate non connexa forsitan falleret, non ideo tamen iudiciorum ordinem perrumpendum docent secularia tribunalia.

Inst. 1. Experientiam 1°. ostendit paritas ; quia datur appellatio ab Imperatore ad comitia : ergo et a Pontifice ad Concilium. 2°. Probant exempla, queis Fridericus Imp. ab Innocentio IV, Episcopi Angliæ ab Urbano IV, Anglorum Rex etiam Henricus III. a Clemente V, Philippus Pulcher et Regnum Franciæ a Bonifacio VIII, provocarunt ad Concilium Generale. 3°. Confirmant, post Gersonem singulari Tractatu, Doctores Galli et maxime Sorbona, qui hanc sententiam non solum doctrina sed interpositis sæpe appellationibus sunt tuiti.

Quoad 1. R. N. parit. Qualecumque hic sit Comitiorum jus, quod tamen negant Icti non pauci, fundatur illud in eo, quod Imperator suam potestatem immediate habeat a Statibus vel Electoribus, qui poterant illi eam conferre magis aut minus limitatam : Pontifici auctoritatem, quam habet, nullatenus tribuerunt fideles, Episcopi aut Electores, sed Christus immediate contulit ; unde limitare illi nihil possunt, nec in appellationis ordine Papam sibi subicere.

Quoad 2. R. de exemplo FRIDERICI Imp. num. 187. dictum est. De altero Angliæ, unus testis est Parisius, famosus Pontificiæ dignitatis denigrator. Præterea querelæ motæ sunt, non contra Pontifices ipsos, sed eorum in

Angliæ Legatos, et ad ipsum Pontificem in Concilio Viennensi delatæ. De Philippi pulchri et Galliæ exemplo, ex Puteano et Spondano constat, BONIFACIUM VIII. ex Gallorum opinione fuisse illegitime in sedem Apostolicam intrusum, ideoque appellatio ad Concilium œcumenicum et Pontificem legitimum futurum fuit interjecta : hujusmodi autem casus a controversia nostra est alienus.

Quoad 3. R. Quod facta attinet, ipse de Marca L. 4. Concord. c. 17. testatur, hæc fuisse recens suscepta, ut rei se subducerent a Pontificis iudicio ; Canus autem L. 5. de Loc. Theol. c. ult. ait, ea hæresi patrocinari, obedientiam Ecclesiasticam et pietatem perdere : quod auctoritatem spectat, satis dictum est Articulo præcedenti, et post sequentem addentur aliqua.

189. *Observe.* Ut virorum sanctissimorum a Conciliis ad Pontificem appellantium auctoritatem declinent Adversarii, eorum quidam statuunt in omni ad Papam appellatione inclusam esse hanc conditionem : salva Conciliorum Generalium auctoritate. Ne fingere hoc pro libitu videantur, ATHANASIUM dicunt communioni ac sedi non fuisse restitutum a Julio, nisi suffragante quinquaginta Patrum Synodo : FLAVIANUM volunt appellasse, non ad solum Pontificem, sed una ad Synodum Occidentalem : THEODORETUM denique, post appellationem a Papa restitutum, contendunt novum in Concilio Generali examen habere debuisse. Verumtamen nec ista fictionis commentum satis purgant.

Nam ATHANASII restitutionem unius Julii auctoritati tribuendam esse, testantur tum Socrates L. 2. hist. c. 15. his verbis : *Ubi cum Julio Romanæ Urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, quæ est Romanæ Ecclesiæ prærogativa, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remisit, singulis suas sedes restituens* : tum Sozom. L. 3. hist. c. 8. scribens : *Episcopus Romanus cum omnes in Nicænæ Fidei doctrina consentientes reperisset, in communionem recepit : et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuilibet Ecclesiam restituit.* Suffragatur ratio ; quia quinquaginta Italarum ille conventus, sine Pontifice, nihil omnino juris habebat in res ac iudicia Orientis aut aliarum Provinciarum : prout similes etiam Synodi Romanæ sub HILARIO ac GELASIO coactæ disertis verbis fatentur.

FLAVIANI appellatio non minus ad solum Leonem Romanum Pontificem erat directæ ; ac ante Ephesinum latrocinium, ab illo solo tranquillitatem, etiam non celebrato Concilio, reddi posse, in sua ad Leonem epistola scripserat. Neque ipse appellationis libellus, neque Leonis epistola post appellationem Concilium urgentis, neque Valentiniani eo de negotio ad Theodosium litteræ ullam Concilii mentionem fecerunt. Unde, quod Placidia ad Theodosium scribat, Flavianum misisse suum libellum *ad Apostolicam Sedem et omnes Episcopos harum partium*, eatenus duntaxat verum est, quatenus hi Episcopi uniti sunt cum Pontifice, aut sub missionis tempus forsitan erant congregati ; cum certum sit unum tantum libellum Romæ appulisse.

THEODORETUM admissum esse in Concilium Chalcedonense ex eo, quia restituit ei *Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo*, actione 1^a legitur : eadem etiam ex causa Iudices Act. 8^a eundem sedi suæ restituendum edixerunt, et Legati Pontificii Apostolicæ sedis nomine decretum restitutionis

protulerunt. Ante tamen oportuit Theodoretum dicere anathema Nestorio, juxta disciplinam scilicet Ecclesie constantissimam, non recipiendi ad communionem aut sedem suspectum de hæresi, nisi præmisso anathemate in eam ejusque auctorem: quæ ratio etiam fuit, cur diverso modo Conc. Chalcedonense egerit cum Theodoro et Iba, quam cum Eusebio Doryleensi sine formula hac enuntiata suscepto, quamvis hic non minus ac illi ab Ephesino Conciliabulo fuerit depositus.

ARTICULUS IV.

An Romanus Pontifex summam habeat auctoritatem?

190. *Nota.* Quam num. 149. de Concilio proposuimus quæstionem, eandem et hic tractamus: auctoritatem summam accipiendo scilicet pro INERRANTIA PONTIFICIS, et irrefragabilitate judiciorum; materiam restringendo ad eosdem terminos fidei, morum et factorum dogmaticorum; per judicia autem definitiones positivas, perspicuas et certas intelligendo. Præterea vero in Papa duplicem quasi personam distinguimus; considerando eum jam ratione suppositi ut hominem præcise seu doctorem privatum, jam ratione officii ut summum Pontificem, seu ut constitutum a Christo universalem Doctorem ac Magistrum omnium fidelium; discrimine olim jam in disputatione Rustici Ecclesie Romanæ Diaconi contra Acephalos insinuato, et postea in Libello ad Clementem V. a Gallie Proceribus etiam usurpato. Ut *Doctor privatus* spectatur, dum Papa absque potestatis propriæ ostentatione, opinionem dumtaxat suam et sensum velut personalem ac privatum exponit: spectatur ut *Doctor universalis*, dum auctoritate publica usus ut supremus Ecclesie Magister aliquid proponit toti Ecclesie, obligans omnes fideles sub anathemate seu pœna hæreseos ad illud propositum assensu interno ac fide divina credendum: sic vero enuntians dicitur loqui *ex cathedra*; phrasi ex Matth. 23. v. 2. ad indicandam præceptivam docendi auctoritatem desumpta.

Locutionis hujusmodi velut *conditiones* afferuntur, servata definientis a metu et violentia immunitas, præmissum rei decernendæ maturum examen, præhabita Ecclesie Romanæ seu Cleri, nunc Cardinalium, consultatio, et fusæ ad Deum ante definitionem preces: his a Gallis adhuc, pro suæ Ecclesie libertate, prævia causarum in loco ubi natæ sunt præparatio, et certarum loquendi formularum absentia tanquam requisita adjunguntur: ab aliis e contra, præter libertatem in Pontifice requisitam, cætera omnia rejiciuntur.

Quantumvis vero videatur Spiritus sancti assistentia, Petro illiusque successoribus promissa, non pendere per sese ab humanis hisce adminiculis, nec illis a Christo fuisse alligata; quia tamen a gubernatione hominum divinitus etiam instituta non respui debet modus agendi rectæ rationi ac prudentiæ accommodatus; ac ipsi præterea Pontifices potestatis suæ usum ad has regulas semper conformarunt, quin et ubi ad Galliam causæ pertinebant, ad illius mores se composuerunt: hinc requisita ista haud difficulter permittimus, cum cautela tamen hac gemina: 1°. Ut ea plus aut minus exigantur pro varia materiæ qualitate: 2°. Ut non teneantur fideles inquirere aut scire an media hæc sint adhibita; sed certi de Pontificia ad

omnes fideles directa, eosque sub anathemate ad assentiendum obligante, propositione solemniter edita, possint ac debeant supponere omnia necessaria fuisse observata, nisi manifeste constet de opposito: quandoquidem alias ipsius Ecclesie infallibilitas et Conciliorum œcumenicorum auctoritas simili ex capite elevari etiam posset, et intemperantissima crisis supremum sibi judicium in res omnes dogmaticas arrogaret; cum tamen certum sit, Deum in necessariis ibi non defuturum, ubi infallibilitatem ipse promisit, res autem omnino exigit.

Porro controversia non est de Pontifice ut *Doctore privato*; cum omnes ultro concedant, Papam sub hac consideratione, non minus ac homines alios, errori obnoxium, ejusque sententiam reformationi subesse. Versatur itaque tantum circa Pontificem, ut doctorem universalem et supremum Ecclesie Magistrum seu ex cathedra loquentem, materia et judicio ad memoratos limites reductis. In hac vero controversia, altera, quæ Gallis tribuitur, sententia statuit Pontificem infallibilem non esse, nec definitionem ejus irrefragabilem, ante quam accedat consensus Ecclesie, aut congregatæ in Concilio, aut saltem per orbem diffusæ: altera, quæ a BENEDICTO XIV. in ep. an. 1748. ad Inquisitorem generalem Hispaniæ data, extra Galliam *ubique recepta* dicitur, sententia tenet, etiam independentem ab Ecclesie consensu Pontificem e cathedra loquentem inerrantia, ejusque definitionem immutabilitate pollere; quam nunc, quantum rerum multitudo patitur, paucis asserendam et vindicandam suscipimus.

191. *Dico.* Romanus Pontifex e cathedra loquens in materia fidei, morum et factorum dogmaticorum, habet summam auctoritatem: seu ipse quidem est infallibilis, ejus definitio autem irrefragabilis ac irreformabilis, etiam independentem a consensu Ecclesie. Probatur Auctoritate; et quidem;

I. Ex *SCRIPTURA*, quæ duplicem præcipue nobis textum suggerit, alterum Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* Luc. 22. v. 31. et 32. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Horum uterque 1°. Convenit Petro ut contradistincto ab aliis Apostolis; cum Christus interrogatione ad omnes præmissa, et mentione diabolicæ omnium cribrationis facta, ad solum Petrum, nomine proprio ac pronomine compellatum, orationem convertat: 2°. tribuit eidem speciale donum ad utilitatem Ecclesie; quale est ratio *fundamenti* in ordine ad ædificium Ecclesie, et indefectibilitas fidei ad confirmationem fratrum: 3°. declarat hoc donum concedi Petro, non ut personæ privatæ, sed ut publicæ ac præpositæ; quia sustentare Ecclesiam aut *confirmare fratres* officium est præsidis ac superioris: 4°. id ipsum adstruit Petri successoribus; tum propter transiturum ad eos idem officium, tum propter perpetuitatem Ecclesie et necessitatem confirmandi posteros.

His præmissis pro *textu primo* suppono ex num. 107. 110. et 115. infallibilitatem Ecclesie illis verbis rite probari; ex iisdem autem nunc argumentor: Vi verborum Christi apud Matthæum infallibilitas non tantum tribuitur Ecclesie, sed etiam petræ ac fundamento: sed non Petrus tantum, verum